



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

§. 1. De nomine Cardinalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

§. I.

De nomine Cardinalium.

1. & 2. *Cardinales à cardine dicti.*
3. *Præcipui in Clero Cardinales appellati.*
4. *Cardinalis nomen à loco ad Personas derivatum.*
5. *Quo tempore nomen Cardinalis inventum.*

I.

Dicuntur Cardinales à cardine. Cardio est axis, circa quem res aliqua volvitur regiturque; Sic cœli cardines dicuntur duo poli, circa quos immobiliter fixos, cœli machina rotatur. Ostii cardio est, in quo illud vertitur & regitur. Cardio quoque dicitur præcipuum, & summa rei. Hoc sensu S. Augustinus l. 1. de Bapt. c. 6. primarios Donatistarum Cardinales vocavit, & S. Ambrosius lib. 5. in Luc. præcipuas virtutes Cardinales dixit.

2. Utrâque acceptione Purpurati à cardine nomen *Cardinalis* trahunt; Nam sicut super cardinem volvitur ostium domus, ita super hos Sedes Apostolica, totius Ecclesiæ ostium, quiescit & sustentatur, inquit Eugenius IV. Constit. Non mediocri. Sunt etiam præcipui, qui Papæ in Ecclesia universali gubernanda

nanda assistunt. *c. Fundamenta §. decet de elect. in 6.* Dignitates enim Episcopales & Archi-Episcopales *privata unius patrie præsunt utilitati, ista Cardinalium dignitas publica totius populi Christiani: illa unam duntaxat regunt Ecclesiam, ista cum Sede Apostolica, universas,* ait idem Eugenius IV. *l. c.*

3. Hinc olim primarii & principales in Clero *Cardinales* dicebantur; Ita Episcopus & Clericus Cardinalis. *c. In nomine Domini dist. 23. Sacerdos Cardinalis. c. Ministerium de offic. Archipresb. Presbyter & Diaconus Cardinalis c. Præsul. 2. q. 5. id est Archi-Presbyter & Archi-diaconus: in ea nimirum Ecclesia, in qua plures Presbyteri & Diaconi reperiiebantur, vel qui Ecclesiis præficiiebantur, quæ cæteris Principales erant: nominabantur, Azor. p. 2. Inst. l. 4. c. 1.*

4. Ex quo colligitur à loco derivatum esse nomen Cardinalis ad personas, prout clare quoque constat ex Concilio Meldensi *Can. 54. sic statuente. Ut titulos Cardinales in urbibus, vel suburbiis constitutos Episcopus Canonice ordinet & disponat.* Idemque habetur ex Joanne Diacono in vita S. Gregorii *lib. 3. c. 11.*

4 De Institutione Cardinalium.

ubi sic ait: *Cardinales violenter in paræciis forensibus ordinatos Gregorius in pristinum cardinem revocavit. Ubi cardinem vocat Titulum seu Ecclesiam Cardinalem.*

5. A S. Sylvestro Cardinalis nomen inventum esse creditur, cum ante illius tempora nulla hujus vocabuli mentio in monumentis, aut literis reperitur. Primum enim istius meminit sexta Synodus Romana anno 315: post conversionem Constantini sub Sylvestro celebrata. Quod nomen deinde eisdem Ecclesiæ Prælati attribuit Gelasius Papa, & refertur in *c. Presbyteri 24. dist. ac sæpius Gregorius I. c. Relatio & seq. c. Pastoralis. 7. q. 1. & deinceps Stephanus IV. c. Oportebat. & seq. dist. 79. Nicolaus II. c. In nomine Domini dist. 23. aliisque.*

§. 2.

De Institutione Cardinalium.

1. *Figura Cardinalium fuerunt Sacerdotes Levitici Ordinis.*
2. *Cardinales instituti sunt exemplo Apostolorum.*
3. *Et jure Divino.*
4. *Qui olim constituti sunt, & ad quid.*
5. *Post Constantinum M. crevit eorum honor & dignitas.*

6. Ac.